



27

I. N. 7.
DISPUTATIO PHYSICA

De
Anima Rationali,

Quam
DEO Auxiliante,
In Electorali ad Albim Universitate


SUB PRÆSIDIO
VIRI PLURIMUM REVERENDI AMPLISSIMI
atque PRÆCLARISSIMI

DN. JOSIÆ CHRISTOPHORINEANDRI,
S.S. Theol. Licentiati dignissimi, Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ quæ Wittebergæ est Adjuncti meritissimi,
ad Div. Johannis apud Stargardienses Pastoris
primarii vocati,

*DN. Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui aterna
mentis devolutione suspicienda
publicæ ventilationi sistit*

DANIEL BORNHAGEN
Stargardiâ Pomeranus,
Aut. & Respond.

Ad diem VI. Octob. horis matutinis,
In Auditorio Majori.



WITTEBERGÆ,
Typis MICHAELIS Wende /
ANNO M DC LX.



NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS. CON-
SULTISSIMIS. PRUDENTISSIMIS. SPECTA-
TISSIMIS. RERUM USU OMNIGENARUMQUE
VIRTUTUM LAUDE LONGE
EMINENTISSIMIS.

VIRIS.

DOMINIS.

CONSULIBUS.
SYNDICO,
CAMERARIIS,

ET

RELIQVIS INCLYTI ORDINIS
SENATORII PATRIBUS. IN STAR-
GARDIENSIVM CIVITATE.

Rei Literariæ

Patronis atque Promotoribus maximis

Hanc Philosophicam Dissertationem humili
gratoque affert animo in ulteriorem sui
commendationem studiorumque
promotionem

Daniel Burmeister / A. R.

Prooemium.



Ortum Philosophorum non ita pridem ingressus, multas herbarum egregias species aspexi, quarum odor suavissimus colorq; jucundissimus adeo me dilectavit, ut plurimas vellem excerpere. Cum autem cognoscerem, non capere tot corbulam meam, pauciores, quae mihi praeter ceteris arridebant, collegi. Praesentes de Anima Rationali quaestiones, quam non superant materiam sua nobilitate, quem non delectant hominum sua suavitate & jucunditate? Certè vix aliud quis poterit aut magnificentius quaerere, aut utilius discere, quam quod praesentes exhibere tentant pagella. Quid enim juvat corporum caelestium perscrutari motus, & ut causas virtutesque illarum, quae sub pedibus premis, cognoscas, non dies modo; sed & noctes consumere, si te ipsum ignores? Quid juvat Africam, ut miras videas, Asiam, ut nova audias, summo cum vita periculo petere, si te ipsum non cognoscas, non mireris? Tum enim verè sapias, cum te ipsum cognoscis, juxta dictum illud vestibulo templi Delphici inscriptum: *ἴσθι σεαυτὸν*. Nosse autem non corpus duntaxat; sed & animam animeque originem oportet. Hic enim se offert, quod homini scire convenit: quodque ingenium mirificè oblectare potest. Quamvis autem nobilissimum hoc thema non nullis difficultatibus obnoxium sit, cum circa eam tot ferè reperiantur sententiae, quod capita: Nihilominus tamen ipsa difficultas calcare addat eunti, praesertim cum turpe videatur, ignorare velle ea, de quibus tot praecelari viri scripserunt. Ergo

Adsis inceptis. Christe benigne, meis.

QVÆSTIO I.

An doctrina de Anima Rationali spectet ad Physicam. ?

Ut præsens quaestio commodè decidatur, sequentia añ-
notanda putamus 1. Distingvimus inter rem & rei modum.
Res ipsa, nempe anima rationalis in multis disciplinis con-
siderari potest, sed modus considerandi eam, prout est prin-
cipium essentiale hominis, peculiarem corporis speciem con-
stituens peculiareque affectiones edens, ad forum physicum
spectat. Pnevmaticus, Ethicus, Theologus rectè quidem
agunt de anima, sed ita tamen, ut nullus ex propriis castris
in physicorum se conferat territorium. *Ille* eam contem-
platur, quatenus est Spiritus & essentia quædam spiritualis.
Iste quatenus est principium virtutum & actionum civilium
earundemque subjectum. *Hic* quatenus ad DEUM reducen-
da & æterna vita donanda est. 2. Distingvimus inter con-
ceptum absolutum & respectivum. Quoad conceptum ab-
solutum rectè ad pnevmaticam, ut & ipsam Metaphysicam re-
fertur, quoad respectivum verò physicæ adscribitur, quate-
nus nempe altera pars essentialis hominis est, & eidem lar-
gitur esse distingvi & operari. Objicis: Animam non esse
corpus. Ergo doctrinam de anima ad physicam non specta-
re? Verum committis ita fallaciam oppositorum. Anima
& corpus non sibi hic opponuntur. Sed anima h.l. ut pars
essentialis certæ speciei corporis consideratur. Physica enim
considerat corpus naturale, quatenus naturale est. At corpo-
ris naturalis consideratio formæ considerationem simul in-
volvit, cum omne corpus physicum ex materiâ & formâ ceu
partibus essentialibus constet.

QVÆSTIO II.

An Anima Rationalis rectè definiatur: quod sit forma hominis, quæ est, intelligit, & vult?

Ita definit eam B. noster atque celeberrimus Sperlingius
Anthropolog. Phys. lib. 1. cap. 1. p. 59. Variæ aliàs variorum
Auto-

Auctorum extant Definitiones quibus animæ rationalis essen-
 tiam repræsentare & describere voluerunt. Alii animam
 cerebrum, alii cor ipsum, alii cordi suffusum sanguinem esse
 dixerunt. Fuerunt, qui animam ignem sive fervidum corpus
 igneis atomis constans denominarunt: fuerunt &, qui eam
 Spiritum sanguini innatantem vocarunt: Quæ omnes opinio-
 nes refutatione indignæ sunt, cum eas, ceu obsoletas & à ve-
 ritatis tramite remotissimas recensere, sit refutare. Superfunt
 adhuc ii, qui se sapientiores citatis esse, existimant, omnium-
 que optime animam rationalem sic posse describi putant:
 Est Spiritus finitus incompletus cum corpore humano per-
 fectam absolvens speciem. Ast quamvis à veritate aliena
 non sit hæc definitio, tamen à nobis in Physica approbari
 non potest. Nam confundit considerationem animæ ratio-
 nalis Physicam cum Pnevumaticâ. Pnevmaticus enim animam
 absolutè sub ratione Spiritus finiti considerat; Physicus vero
 eo modo, ut supra in quaestione præcedenti notavimus.
 Rectè B. noster atque celeberrimus Sperlingius: *Vere sanè
 & non ineptè ita definitur. Spiritus est anima nostra. Habet
 enim spirituum affectiones cum Positivas, tum Negativas.
 Positivæ sunt simplicitas, intellectualitas, arbitrij libertas.
 Negativæ, immutabilitas, indivisibilitas, illocalitas, immo-
 bilitas. Est ergo spiritus, sed & finitus spiritus est. Finitus in
 perfectione, finitus in operatione, finitus in duratione, finitus
 in presentia &c.* E. Paulo post: *Sed hæc quamquam veris-
 sima; altioris tamen sunt indaginis, & alterius artificis. Ad
 Pnevumaticam spectant, non ad Physicam. Non absolutè in
 terminis quidditativis: Sed respectivè in relatione ad cor-
 pus, nos nostram consideramus animam.* His ita rejectis
 descriptionibus, nostram legitimam esse, probamus ex eo:
 quia suo definito adæquata est: Nihil enim in hac defini-
 tione abundat, nihil etiam deest quod ad animam rationa-
 lem, quatenus hominis forma est, spectet. Hinc rectè tota
 hæc definitio cum suo definito reciprocatur, ita ut dicere pos-

fm, Anima rationalis est forma hominis, quâ est, intelligit & vult: & quicquid est forma hominis, qua est, intelligit & vult, anima rationalis est. Præterea hoc probamus ex definitionis perspicuitate. Adeo clara & perspicua est, & nullis prematur difficultatibus. Generis loco stat forma: ut enim anima equina forma equi, anima leonina forma leonis, sic anima humana forma hominis est. Differentia his verbis absolvitur: qua est, intelligit & vult. Nam homo ab anima sua habet esse, vivere & operari, operationes autem principales sunt intelligere & velle. Cum intelligit verum, cum vult bonum, suum quod est agit: non cum saltat, bibit, & precioso lecto incumbit.

QVÆSTIO III.

An Anima rationalis hodiè creetur?

Ne Vocis ambiguitas in principio nobis imponat, notamus, quod terminus Creationis dupliciter accipiatur 1. *Propriè* quomodo DEUS dicitur creare cum vel ex nihilo aliquid producit vel ex materia quadam præexistente, sed ad id per se & naturaliter indispositâ & inidonea. 2. *Impropriè* & laxè, prout nihil aliud denotat, quam specierum in hoc mundo creatarum per generationem singularium & individuorum conservationem: hoc modo dicimur à DEO creati. Malachia cap. 2. v. 10. Nos de acceptione propria sumus solliciti, cum impropriam Traducis defensores admittant. Probamus autem quæstionis negativam. I. *Ex Scriptura.* Gen. 2. v. 3. legimus, DEUM requievisse septimo die ab omni opere, ubi verbum quievit, immediatam tollit creationem, & innuitur, quod DEUS eo ipso quietis suæ momento distingvere voluerit immediatam creationem à conservatione ordinaria. Quievit enim non à providentia sua divina, utpote quæ adhuc floret, & cunctas res sustentat & gubernat; Sed ab immediata novarum specierum creatione. Argumentamur ergo: A quorum creatione DEUS quievit septimo die, illa quotidie non creat immediate. At ab operum in-

tra

tra Hexameron conditorum creatione quievit DEUS septimo die. Ergo illa non creat DEUS quotidie: Ergo nec animam rationalem hodiernam, ubi creationi ipsa succesit generatio. II. *Ex Natura.* Si DEUS hodie animam crearet immediate, sequeretur quod homo non hominem; sed corpus saltem inanimatum generaret, quia anima humana hominem in esse specifico constituit. Hinc & noster B. Meisnerus inquit: *Falsum est, quod homo generet hominem, etiam si anima creetur. Homo enim sine anima non est homo, cum anima forma sit, & esse det homini. Qui igitur non producit formam hominis, is non producit hominem: Homo enim sine forma sua, quæ est anima, non est homo: Atqui parentes non producant formam hominis: Ergo nec hominem.* Coincidit cum hoc illud Sennerti: *Qui non dat formam hominis, ille non generat hominem.* Nam homo sine forma sua, quæ est anima, non est homo. Ideoque si parentes non dant formam hominis, non generant hominem. Præterea & hoc absurdum inde sequeretur, quod homo ipsis brutis esset deterior, utpote quæ, fatentibus ipsis Adversariis nostris, sibi simile generant non quoad unam; sed utramque essentiæ partem. Hinc sapienter Hoffmannus: *Si in omnibus, dicit, asinus asinum, canis canem, leo leonem producit, ita ut ad perfectionem cujuslibet speciei non desit quidquam. Cur homo sit infelicioꝝ equo, asino, cane, leone? Quin natura ipsa, si loqui posset, indignissime se ferre clarissimis verbis testaretur, adimi sibi nobilissimam operationem, hoc est generationem substantialem lib. 2. de Gener. hom. p. 32.*

III. Ex propagatione peccati originis. Argumentamur: Animæ si creantur à DEO vel puræ creantur sine peccatis, vel impuræ & peccatis inquinatæ: si puræ unde redduntur impuræ & peccati labem sibi contrahunt, an à corpore? neutiquam, quia corpus anima destitutum non peccat. Nullum enim inanimatum delinquit nec corpus potest aliquam vitiosam qualitatem impingere animæ, quæ spiritua-

lis

Iis est. Si impura, tunc Deus ipse autor nequitiae & peccati
 originalis fiet, quod absit ab ore viri Christiani. Cum ita-
 que neutrum dici possit, ergo nec dici poterit. Deum im-
 mediatè creare animam. Peripatetici autem de animabus
 seu formis rationalibus id affirmant & pro sua defendenda
 sententia argumentis, partim ex Scriptura, partim ex Philo-
 sophiâ petitis utuntur. I. Ex Scriptura obijciunt Dictum
 Eccles. 12. v. 7. Ubi dicitur Spiritum redire ad Dominum,
 qui dedit illum, si itaque Deus dat animam, utique ea crea-
 tur. Resp. 1. Distingv: Inter causam primam, & univer-
 salem; & inter secundam ac particularem. Ex hoc dicto sequi-
 tur, quod Deus sit causa prima & universalis, quæ etiam
 dat esse. 2. Inter illud, quod Deus dat mediatè & quod
 dat immediatè, etsi non immediatè dat animas; mediatè
 tamen, mediantibus causis secundis. 3. Si verum esset,
 quod quicquid Deus dat, illud crearetur, sequeretur, quod
 corpora nostra etiam crearentur, quin illa quoque Deus dat,
 quæ tamen creari ipsi negant adversarii. II. Ex Philo-
 sophia objic. Q. Ex nihilo producitur, illud creatur. Ani-
 mæ Rationales. E. Resp. Est falsa hypothesis, ex nihilo
 nihil produci, nisi per creationem. Nam hoc modo etiam
 habitus animæ rationalis, & species intelligibiles crearentur,
 quia non habent præexistentem materiam; sed etiam ex
 nihilo producantur. Negamus ergo majorem. Nam ad
 creationem plus requiritur, quam productio rei ex nihilo.
 Requiritur enim, ut Deus influat per infinitam potentiam,
 ut rem producat sine concursu & interventu alterius agentis.
 Sola itaq; productio ex nihilo ad creationem non sufficit.

QVÆSTIO IV.

An Anima rationalis traducatur?

Antequam rationes pro stabilienda nostra sententia
 proferamus, opus maximè est vocem traducis explicare. De-
 finit illam B. noster Sperlingius quod sit in prima sua signi-
 ficatione propago, ab una arbore secta, & in aliam arborem,

vel ejusdem, vel diversæ speciei traducta, ut generationis
perficiatur opus. Sic surculus pyri, cerasi inseritur in truncum
pomi ita ut una arbor diversos producat fructus. Hoc
nomen traducis postmodum ob certam quandam analogiam
ad animalia translatum est, quibus generationis opus com-
mune est cum plantis. Viderunt enim naturæ scrutatores,
semina in matricem immissa idem præstare, quod surculi
stipiti infixi, quod semina terræ mandata, propterea cum
formæ in Physicis traduci dicuntur, nihil aliud significatur,
quam eas mediante semine, propagari, non secus, ac me-
diantibus gemmis ac oculis, formæ plantarum propagantur.
Ut enim surculus, quando in novam inseritur arborem,
animam non immediatè à DEO, sed ab arbore, à quâ abscis-
sus est, accipit, & actu eam obtinet: ita & semen huma-
num, facta conceptione, actu habet animam, non per imme-
diatam creationem, sed per DEI cooperantem benedictio-
nem. Hæc est analogia illa, ob quam traducis terminus, à
plantis ad bruta & hominem ipsum translatus est. Hic
autem non divisio, aut compositio animarum metuenda est,
ut in surculis. Parentes dant quidem genito totam, & nu-
mero distinctam animam, sed parentes retinent animam
suam totam non divisam, & tamen filius à parentibus acci-
pit animam. Hoc ipsum B. Meisnerus illustrat per exem-
plum; sicuti lumen sese multiplicat, hoc est, aliud lumen
immediatè producit in materia apta & aptè applicata: ita
& animæ nostræ per benedictionem divinam, in semine,
ad generationem hominis disposito sese multiplicant, hoc
est, aliam sibi in specie similem animam immediatè non in-
terveniente instrumento aliquo corporeo, producant, quæ
immediata animarum productio tradux vel propagatio no-
minari consuevit. Atque sic evoluto & explicato traducis
nomine, ad rem ipsam nos convertimus, & sententiam no-
stram de traductione animæ humanæ confirmamus sequen-
tibus argumentis. 1. Quæcunq; enim anima nec educitur,
nec inducitur, nec creatur, illa traducitur. Anima humana,
B nec

nec educitur nec inducitur, nec creatur. Ergo anima traduci-
tur. 2. Quicquid sibi simile generat, & juxta speciem sese multi-
plicat, id formam ipsam in generatione communicat. Homo
brutum, omneque generans, sibi simile generat, & juxta
speciem sese multiplicat. Ergo. Major probatur ex eo,
quia ipsa forma dat esse specificum. Minor ex experientia,
ac sine generationis constat. Generant enim corpora, ut
vivant, durentque, homo in homine, brutum in bruto. 3.
Ex facta DEI benedictione Gen. 1. v. 28. Crescite & multi-
plicamini: & replete terram. Hoc non solum corpus con-
cernit, sed totus homo crescendo, & secundum speciem
suam sese multiplicando terram adimplere debet. Testan-
tur id animantia bruta, quæ ob eandem ipsis factam bene-
dictionem Gen. 3. v. 17. sese qua animam, qua corpus mul-
tiplicant: Quidni etiam homo propagetur secundum spe-
ciem suam integram vi benedictionis divinæ, cum tamen
illum præ omnibus aliis amet, ornet & extollat DEUS. Ex-
inde firmissime sic colligere possumus: Quem effectum for-
tita est benedictio divina in animantibus brutis, eundem &
non minorem etiam habuit in homine primævo. Atqui
in animantibus brutis benedictio divina talem habuit ef-
fectum, ut quodvis sibi simile generet, qua corpus, qua ani-
mam. E. in hominibus etiam talem habuit effectum, ut sibi
simile generent, qua corpus, qua animam. Consequentia
majoris sua luce radiat, quia quam benedictionem DEUS
Gen. 8. v. 17. Conjunctim & homini & brutis animantibus
concesserat, eandem postea Gen. 9. v. 1. ad solum hominem
restrinxit. 4. Ex Exemplo Evæ Gen. 2. v. 22. quæ ex Adam
colta est animata, divinitus producta, non sane novæ animæ
inspiratione, sed traductione. Sicut autem DEUS Evæ ani-
mam non immediatè infundebat: Sed per traducem ean-
dem ipsi donabat: ita & hodiè traducitur anima à paren-
tibus. *Ut Evæ, inquit Hunnius, DEUS non inspirat ani-
mam, sed totam ex toto Adamo, vivum è vivo, anima &
corpore producit: sic nunc per generationem ex toto ho-
mine*

mine propagatur ab anima, tanquam lumen à lumine accenso.
Nec obstat: Anima nostra non propagatur costâ Adami,
sed semine, ideoque à tali productione ad nostram non
licet concludere. Quamvis enim modus mutetur; res ta-
men eadem manet, quod constat. Nam ut costa illa non
inanimis; sed animata creat: ita & semen non mortuum;
sed animatum est. Ut Evæ non inspirabatur anima: sed
una cum corpore & costâ Adami anima traducebatur: ita
& hodie non inspirantur, sed traducuntur animæ, mediante
semine parentum animato. §. Ex Psalmo 51. v. 7. ubi
David ita dicit: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, &
in peccatis concepit me mater mea, ex quibus verbis ita con-
cludimus. Si semen in primo statim conceptionis tempore
est peccato contaminatum, sequitur, animam esse in & cum
semine. Argument: ita: ubicunque datur peccatum,
ibi & anima datur. In conceptione datur peccatum. Ergo
etiam in conceptione anima datur. Major probatur, quia
peccatum non est substantia, sed accidens, sicque per se non
subsistit, sed opus habet suo subjecto, quod non nisi anima
est. Minor est immortæ veritatis, ex loco jamjam adducto.
Postquam igitur, sententiam nostram de Traduce dedimus
probatam, sequitur jam ordine, ut refutemus præcipua,
quæ nobis adversarii objiciunt ac reponunt argumenta. Ac
quidem 1. objiciunt: Quod semen actu habet animam,
est ipsum totum animatum. Semen humanum habet actu
animam, E. est ipse homo. Sed consequens absurdum,
ergo & antecedens. Resp. Negando, absurdum esse con-
sequens; sed distingvendum est inter perfectum, & imper-
fectum. Semen etsi non sit corpus perfectum: est tamen
animatum imperfectum, cui desunt quidem in facta con-
ceptione organa, sed illa non ad essentiam, sed ad partes
integrantes spectant. Sunt etiam necessaria ad actum secun-
dum: non ad actum primum. Adest ergo totus homo,
essentialiter rectus & perfectus, mutilus & imperfectus quo-
ad partes integrantes. 2. Quicquid generatur, id ex mate-

ria generatur, Anima rationalis generatur. E. ex materia sua generatur. Resp. Majorem loqui de composito, animam vero non esse compositam, quod per se patet.

QVÆSTIO V.

*An Anima rationalis sit tota in toto corpore
& tota in quavis parte?*

Quemadmodum hæc quæstio non uno; sed duobus constat membris: ita perceptâ prioris membri resolutione, quid de posteriori sit censendum, dicturi sumus. Prius autem membrum quæstionis hoc est; An anima sit tota in toto corpore? Ubi affirmativam sententiam defendimus cum omnibus Philosophis, eumque tam de animabus, quas dicunt esse potentia materiæ educi, seu (rectius) in materia esse fieri & operari, & uno verbo vocant animas materiales, quales sunt animæ brutorum, plantarum &c. quam quas à materia liberæ esse, & absque ea conservari & operari posse statuunt. Et aliàs immateriales nominant, quales nostræ animæ humanæ sunt. Idque cum B. nostro Sperlingio exinde probamus, quia anima omnes corporis totius informat partes. Nulla enim datur, quæ non exerceat operationem aliquam vitalem, sicut id deprehendimus in homine, bruto, planta. Ubi cunctis harum specierum partibus anima vitam communicat, easdemque permeat. Quod si vero omnes permeat partes totius corporis, rectè etiam, cum hoc ex illis componatur, dici potest, quod ipsum permeet totum, adeoque in toto sit. Tota autem quod sit in toto corpore inde patet, quia animæ essentia simplex est, nec ex partibus ullis composita. Ubique ergo est, tota est, & ita in toto corpore tota. Alterum quod attinet membrum monstratur nobis illud in sequentibus verbis, ubi quæritur, an tota anima sit in quavis parte, ubi sciendum quod quæstio de animabus materialibus (quæ ita dicuntur non ratione essentiæ, sed ratione existentia, quia

sine

sine materia existere nequeunt) sit neganda; de immaterialibus autem (quæ ita dicuntur, quia etiam absque materia existere possunt) affirmanda. Anima materialis quod non sit in quavis corporis parte tota, probatur ex extensione ejus, extensa enim est ad extensionem materiæ; quod inde apparet, quia est divisibilis, uti præter Aristotelis interpretes, Toletum, Conimbricenses, Zabarellam & Morisandum, ipsa etiam testatur experientia, & i. quidem de anima vegetativa. Cum enim ramum quendam à salice abscissum terræque mandatum radices emittere videmus, quid hinc aliud possumus concludere, quam quod radices illæ animæ divisæ sint testes. 2. De anima sentiente idque iterum primo de imperfectis animalibus & insectis certum est. Etenim ut muscas & vermiculos quosdam longiores saltem adducamus, nonne experimur hæc animalia in aliquot partes divisæ & stylo quodam tacta partim aufugere, partim etiam ad doloris locum se torquere. Deinde etiam de perfectis animalibus. Vid. B. Sperling. in Instit. Phys. p. 145. Ex quibus omnibus satis superque constat: animam materialem esse divisibilem, & proinde non totam in quavis corporis parte. Restat jam ut pro anima immateriali, quam supra totam in quavis etiam parte esse, asseruimus, firmas adducamus rationes: Quicquid neque per se, neque per accidens extensum est, illud ubicunque est, ibi totum est. Anima rationalis neque per se neque per accidens extensa est. Ergo anima rationalis, ubicunque est, ibi tota est. Major constat. Minor etiam facile probatur. Quod per se extensa non sit anima, in propatulo est. Per accidens verò quod non extendatur ad extensionem materiæ, ita porro probamus. Q. Forma à materia non dependet inesse, ea nec extenditur ad extensionem materiæ. Ratio est, quia dependentia à materiâ est causa extensionis animæ. Hinc anima rationalis, quia non dependet à materiâ, sed absque ea etiam potest existere, ideoque ad extensionem materiæ non extenditur, non est tanquam pars in parte, sed tota

in quavis parte. Et sic nos satis superque mentem nostram
explicasse de hâc quæstione, putamus, quod nimirum
utraque tam materialis, quam immaterialis anima sit tota in
toto, materialis autem tanquam pars in parte, imma-
terialis denique non tanquam pars in parte, sed tota in
quavis parte.



Ad

Per Eximium atq; Doctissimum Juvenem

DANIELEM BURMEISTERUM,
Cum de ANIMA RATIONALI disputa-
turus esset publicè.

Natales die didicisse fideliter aura
particula, egregium censeo mentis opus.
Ne labyrintheo imprudens cludaris in antro,
SPERLINGI haut pigeat dogmata docta sequi.
Antiquis debetur honos; novior sed & etas
non tam temnenda conditionis erit.

BURMEISTERE nov-antiquum qui discere anhelas,
impiger huic instes, quâ itur ad astra, via;
Sic Te grassantem sapientum ad templa serena
ornabis lauru docta *Tbalia* caput.

JOACHIMUS Nerger/

D. & P. P.

Tu

TU quoq; quod cælo descendit *ἡὼς, σαρῶν*
Grajugeno doctè cum Sapiente doces.
Namq; animæ vires benè qui perceperit omnes,
Majorem partem callet isipse sui.
Corpore differimus non multum animantibus ipsis:
Sola homines animus cum ratione facit.
Gratulor ergò Tuis, ò BURMEISTERE camœnis.
Ecce patet laudi magna fenestra Tuæ.

*M. Johannes Michael Strauß/
Facult. Philos. Adjunctus, &
p. t. Decanus.*

In vigilare libris clarum, præclarius illud,
Quid valeas pugna proderè dogmaticâ
BURMEISTERE utrumq; facis dum pulpita scandis
Depromis studij dum documenta tui:
Gratulor ergo Tibi! capies pergrata brabea
Et brevibus cingent laurea ferta caput.

Hæc pauca PerEximio Præstantis. atq;
Doctis. Dno. RESPONENTI,
Sympatriotæ, Commensali, ac A-
mico conjunctissimo in benevolâ
animi signum gratulab.

faciebat

*Antonius Fuchs,
Sed. Pom.*

EDuci formam multi, multiq; creati
Ajunt: Tu doctè Fautor utrumq; negas.
Fautor utrumq; negas, & longè rectius illam
Traduci firmâ nos ratione doces.
Addis quod tota in toto sit corpore, quodque
Tota sit in quâvis parte, etiam minimâ:
Annumeras hominem, brutum plantamq; priori
Membro, sed solum posteriori hominem.
Sic animæ quæris sedem, sic quæris in illis
Ortum vitalis quæ fovet aura DEI.
Hæc scivisse juvat, quoniam scis, scire juvabit
Te. Quid enim novit quem sua forma latet?
Pauca, nihil. Brutum & plantam se dicit, easdem
Donec quod superet nobilitate probat.
Immo DEUM nescit. Graviter qui punit & odit
Peccata, hic illi est fons & origo mali.
Talibus æternum maledictis lædere Numen.
Cum metuas, sedem quæris & ortum animæ.
Quærendo DEUS ipse tuis conatibus adstat,
Adstet ut ex toto pectore porro precor.

*Sic Per Eximium atq; Præstantissimum
Dn. BURMEISTERUM conterra-
neum, contubernalem & commensalem
suum dilectissimum, de Animâ dispu-
taturum, alloquebatur, eiq; felicem
in studiis progressum precabatur*

Godofredus Krupike,
Stetinò-Pomeranus.



Nov. 2000 ^{8d.}







27

N. 7.
PHYSICA

Rationali,

uxiliante,
Albim Universitate

RÆSIDIO
VERENDI AMPLISSIMI
CLARISSIMI

OPHORINEANDRI,


ssimi, Amplissimæ Facultatis
ergæ est Adjuncti meritissimi,
d Stargardienses Pastoris
ii vocati,

ni ac Promotoris sui aterna
tione suspiciendi
ntilationi sistit

BANNEZGER

Pomeranus,
Respond.

ob. horis matutinis,
orio Majori.



BERGÆ,
AELIS Wendt /
M DC LX.